Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25997
Copyright: Admont, Benediktinerstift



54

Quia salvator de uicta morte ipsam carnem quam a terris assumpserat. quasi
captiuam in celo ducebat. Vnde post hec et propheta hortatur
omnes gentes prouocans ad laudem xpi. eundemque ascensum eius eisdem
iterum sic pronuntiat. Regna terre cantate domino. psallite domino.
Psallite domino qui ascendit super celos celorum ad orientem. quia idem locus
morientis partibus est. ubi xpc resurrexit. et unde in celum ascen
dit. et post hec subdidit. Visi sunt ingressus tui deus. ingres
sus dei mei regis. Videntibus enim omnibus apostolis ac quinquagenis
uiris. sic ascendit in celum. Huius ascensionem et salomon in can
ticis canticorum predicat. Ecce hic super montes. transiliens super colles.
Et amos dicit. Edificauit dominus in celum ascensum suum. et pollicita
tionem suam in terra firmauit. Sed et illud quod per esaiam dominus dicit. nunc
exsurgam. nunc exaltabor. et nunc subleuabor. testimonium resur
rectionis et ascensionis xpi declarat. Quasi aperte diceret. Hunc
exsurgam a mortuis. nunc exaltabor in celum. nunc sublimabor
in regno. Vnde alibi ipse esaias. Ecce intellegit seruus meus
et exaltabitur et sublimis erit ualde. quod utique ad ascensionem
celi et gloriam regni pertinet. sicut ait propheticus psalmus. Dixit
dominus domino meo sede ad dexteram meam. Secundum consuetudinem
nostram illi consessus offertur. qui aliquo opere perfecto uictor
adueniens. honoris gratiam promeretur ut sedeat. Ita ergo et homo
ihc xpc passione sua diabolum superans. resurrectione sua
inferna reserans. tanquam perfecto opere ad celos uictor ad
ueniens. audit a domino patre. sede ad dexteram meam. Hec mirum si
unius sedis offertur filio consessus a patre. qui unius est substan
tie natureque cum patre. Cur autem ad dexteram filius esse dicatur.
moueat aliquem fortasse. Licet enim dignitatis gradus non sit ubi
plenitudo diuinitatis est. tamen ideo ad dexteram dei sedet fi
lius. non quod preferatur patri sed ne inferior esse credatur. Et ideo